

3 Quæstio prior, an votum obliget, quando est sine dis-
tinctione aliqua de materia partim apta, & partim inepta,
sive ratione sui, sive ratione finis? Aliqui agentes de ma-
teria partim possibili, & partim impossibili, dicunt obli-
gare votum, quo ad rem possibilem, non autem, quo ad
impossiblem. Ut si quis voueat peregrinationem Hieroso-
lymitanam genibus flexis; aut bufone gelato in ore, tene-
bitur ire, non tamen eum his modis. Ita docent Navarrus,
summa. Latin. cap. 12. num. 43. Hispana cap. 28. addit. ad num.
42. cap. 12. Manuel. 2. tomo summa. cap. 92. num. 1. Lud. Lop.
1. p. instruat. cap. 44. Emmanuel Sa summa. verb. votum n. 32. Ubi
idem ait, quando materia est partim honesta, & partim
turpis.

4 Prima conclusio sit. Quando materia voti est ratione
sui partim apta, partim autem inepta; nec votum est dis-
junctivum, ut in exemplis supra collectis, & per modum unius
promittitur, ita ut neutra per se volita sit, sed dependen-
ter ab alia, totum votum est irritum. Si autem diuisive
promittatur, ita ut quævis illarum sit per se volita, &
independentem ab alia, est virtute duplex votum, alterum
rei bonæ, possibile, & hoc obligat; alterum autem rei
impossibile, vel malæ, vel indifferens, vel contra consi-
lia: & hoc prorsus irritum. Ratio prioris partis est, quia
cum ita voluntas in utramque obligationem feratur, ut ad
alteram partem sine altera obligari nolit: & pars illa ma-
teriae inepta sit incapax obligationis voti: sit ut desit vo-
luntas obligandi se ad alteram aptam. Quod enim voluit,
nempe utramque partem simul obligari, consequi nequit
repugnantem sibi natura. Id autem, ad quod potuit obli-
gari, quod est sola pars bona, nolit, sed simul cum altera.
Ratio autem posterioris partis est. Quia utile per inutile
vitatur: regula Utile, de regulis juris, in sexto, quam omnes
intelligunt quando ea separari valent. Quod hic contin-
git, cum per modum plurium, & independentem utraque
pars promissa sit.

5 Triplici autem regula indagari potest, quando non con-
stat de volentis intentione, an per modum unius, an po-
tius per modum plurium utraque partem promittitur.
Prima regula desinitur ex rei promissæ natura. Quæ si
res indiuisa est, id est, quæ non patitur commodam diuisi-
onem, nec committitur diuisi solet; censetur per mo-
dum unius promitti. Quando autem est diuisa, id est quæ
commodè diuiditur, & committitur diuisi solet, cen-
setur per modum plurium promissa. Hanc regulam posui,
& probavi variis exemplis illustrans, lib. 1. hujus summe c.
29. & num. 2.

6 Hinc deducitur primo, qualiter intelligendum sit, quod
diximus hoc 4. lib. c. 2. num. 24. ex multorum mente, nem-
pe, eum qui totum votum implere nequit, teneri ad par-
tem. Id enim intelligendum est, quando non per modum
unius, sed diuisive res illa promissa est. Juxta dicta numero
precedenti.

7 Secundo deducitur, qualiter sit verum, quod tradunt
D. Thom. 2. 2. q. 8. q. 1. art. 3. quæstionibus 12. ad 1. Thome. 17.
q. 1. in summa, art. 4. ad 3. Sylu. verbo votum 2. q. 1. Navarrus.
summa c. 12. num. 39. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 6. p. 1. c. 1.
lumo. 8. notabili 2. nempe, vouentem edificare ecclesiam,
nec totam edificare poterant, teneri ad partem sibi pos-
sibilem. Hoc enim est accipiendum, quando constat, vo-
uentis intentionem fuisse obligare se diuisiue, & per mo-
dum plurium ad illam edificandam. Sicut contingit in vo-
uente elemosinam quantitatis alicujus pecuniariæ, qui si
totam erogare nequeat, tenetur ad partem. At ubi non
constat de hac peculiari intentione, censetur in hoc dubio
edificium ecclesiæ per modum unius promitti: & subinde
non poterant edificare totam, minime obligari ad partem.
Quod fecit contingit in elemosina quantitatis pecuniariæ
quæ in dubio censetur diuisiue promitti. Atque ita exillente
tota impossibili obligabit pars possibilis. Ratio discrimi-
nis sumitur ex regula num. 5. tradita. Cum enim ecclesia
sit quoddam corpus indiuiduum, censetur in dubio pro-
mitti per modum unius. Ad elemosina illa est quid diuisi-
uum.

8 Tertio deducitur, rectè sensisse quosdam Auctores di-
centes, puerum quatuordecim annorum, qui vouit jeuna-
re omnibus diebus vite sue, non teneri ad totum; utpo-
te, quod difficillimum est, & legibus prudentiæ dissonans:
generi tamen ad partem, quam absque sui officio, & rerum
sui status, & salutis corporalis detrimentum, commodè im-
plere potest: est tunc sit petere dispensationem. Hi sunt
Corduba summa q. 131. Manuel. 2. tom. summa. c. 99. n. 8. Et ra-
tio est, quia cum jejunium unius diei à jeunio alterius
commodè diuisi valeat, quoties non constat peculiarem vo-
uentis intentionem fuisse obligare se ad id jejunium per mo-
dum unius, censetur per modum plurium promissum. At-
que ita pars possibilis seruanda est. Atque idem sentio de
eo voto emisso à majore quatuordecim annis. Quia in illo
quoque est difficillimum, & moraliter impossibile.

9 Secunda regula desinitur ex communi existimatione:
quando enim communiter existimatur res promissa per mo-
dum unius, ita in dubio censetur promitti. Quia verba in
dubio intentionis sunt juxta communem intellectum acci-
pienda. (Ut diximus c. 8. num. 45.) Item quia (Ut diximus
c. 5. num. 10.) votum nunquam peccandi censetur per mo-

dum unius emissum; atque ita eò quod tota materia
impossibilis, non obligat ad peccata possibilem vitanda. Quæ
receptissima doctrina innitit nequit ipsi rei naturæ, utpote
quæ diuisa est, unum enim peccatum ab alio commodè
diuisi potest. Sed innititur communi existimationi: ita enim
id votum communiter receptum est, ut per modum unius
intelligatur promissum.

10 Ultima regula desinitur ex modo promittendi. Quo-
do pars possibilis, & bona, adicitur, ut minus principa-
lis, & accessoria parti ineptæ promissa, censetur in dubio
utraque pars per modum unius promissa: & ita totum vo-
tum est irritum. Ut votum candidi ad Indos ad opes augen-
das, præmissa confessione, est irritum, & ad nil obligat.
Quia profectio illa est principaliter promissa, quæ cum in-
diferens sit, est inepta materia: confitio autem, quæ apta
materia est, promissa fuit tamquam accessoria, ac illius ite-
neris dispositio, ac proinde censetur utraque pars per mo-
dum unius promissa. Quare non obligante materia princi-
pali, non obligat accessoria. Quando autem materia bona,
& possibilis est principaliter promissa, altera autem inepta
accessorie, non censetur utraque per modum unius promit-
ti, ita ut bona dependeat ab illa circumstantia inepta, sed
per modum plurium, & independentem ab illa. Ut consti-
bit in exemplis adducendis num. 12. & 13. Et similiter po-
test esse exemplum. Si quis promittit ire Romam cum sac-
co: & sit inepta materia induci sacco illo, eò quod vel sit
impossibile, vel prohibuitur illi, tenebitur ad principalem
peregrinationem, non autem ad illum modum. Ratio utri-
usque partis est, quia principale trahit ad se accessorium,
& non e contra: regula Accessorium, de reg. jur. in 6. Ac pro-
inde ex modo, quo tendit voluntas in aliquid tamquam
principale, in aliud autem tamquam illius accessorium re-
ctè colligitur, ut non feratur in principale dependenter ab
accessorio, sed independentem ab illo: in accessorium autem
dependenter à principali.

11 Hæc autem regula est temperanda, nisi modus ille ad-
jectus redderet multo faciliorem rem principaliter promissa-
m. Tunc enim censetur res principalis promitti per
modum unius, & dependenter ab illo modo. Ne dicamus
votum eum multo majori difficultate obligare, quam vouens
intenderit. Ut si quisquam vouit se equitrem peregrinatio-
nem Hierosolymam, si præ paupertate equitris nequeat,
non tenetur pedestrus.

12 Hinc deducitur primo, rectè dixisse Auctores num. 3.
allegatos, vouentem ire Hierosolymam genibus flexis, vel
cum bufone in ore, teneri ire abique his modis. Quia sub-
stantia principaliter promissa est bona peregrinatio: modi
autem sunt impossibiles: & ita nisi expressè de contraria
volentis intentione constet, non censetur peregrinatio per
modum unius promissa, & dependenter ab illis modis.
An verò jejunians cum pane, & aqua ex voto, neciam pos-
tens, quia aliud edit hora refectionis, tenetur ad simplex
jejuniium abique eo modo: dicemus c. 11. num. 49.

13 Secundo deducitur, quid in eo voto censendum sit,
quo se quisquam nudum peregrinaturum Romam promittit.
D. Anton. 2. p. 11. c. 2. §. ultimo, verbi. De corpore sit, ad
esse necessarium auctoritate superioris commutandum in aliud
opus pium: ac proinde iudicatur esse validum. At Navarrus
summa c. 12. num. 39. contrarium docet, dicens esse irritum
nullaque commutatione indigere. Sed ut verum utroque
Auctor dicat, est sic intelligendus. Prior, ut id votum sit
validum, commutatione indigens, quantum ad substantiam
rei promissæ, quæ est Romana peregrinatio. Posterior
autem, ut sit irritum, nec commutatione indigens,
quantum ad modum illam honestati contrarium, nempe,
ire nudum. Cum enim principalis rei promissæ pars sit bona,
solusque modus accessorius sit malus: hoc vitatio non
corrumpit votum: dum expressè non constet de contraria
volentis intentione. Juxta regulam num. 10. dictam.

14 Quando autem omnibus circumstantiis, & prædictis
regulis diligenter perpenis, res dubia manet, & in æqui-
librio, an pars utraque sit per modum plurium promissa,
& res bona, ac possibilis, tamquam principalis trahens ad
se materiam ineptam, nec ab illa dependens: & ita valeat
votum, potius per modum unius, ita ut materia inepta sit
principalis trahens ad se aptam, & ita votum corrumpat.
Censetur in favorem valoris voti iudicandum esse, per mo-
dum plurium promitti. Ut in simili probavi late cap. 2. in
fine. Ubi etiam dixi exillente utriusque opinionis probabi-
litate, integrum esse cuiuscumque etiam minus probabili adhe-
rere. Potest insuper probari sic præsumendum esse. Quia
in dubio censetur votum juxta rei naturam emitti. Cum
ergo ex se, & respectu voti rei bona, possibileque princi-
palem locum occupet, censetur principaliter in votum ca-
dere: ubi ex conjecturis aliud deprehendi nequit, sed res
est anceps.

15 Secunda conclusio. Quando duplex est voti finis, al-
ter aptus, & alter ineptus; ut in exemplis num. 1. in fine,
adductis: eadem difficultate adhibenda est, quam in n. 4. ad-
hibuimus in materia similiter mixta. Si illi fines intendan-
tur diuisiue, & per modum plurium, est duplex virtute vo-
tum: & valebit ordinatum in finem bonum, & possibilem,
corruente alio voto ordinato in finem ineptum. Tunc au-
tem hoc contingit, quando independentem à sine illo inepto
votum emissum est; ita ut illo non intento emitteretur ad-
huc

huc votum, est non tanta promptitudine. Cum enim tunc
votum non pendat ex illo hinc inepto, sed illo cessante,
est aptus esset, adhuc obliget juxta dicta in hoc lib. c. 2. n.
47. nisi referat ad voti valorem, qualis ille finis sit. Si au-
tem collectivè, & per modum unius uterque finis inten-
datur, ita ut unus dependeat ab alio, tunc siue finis aptus
sit magis principalis, siue minus principalis, iudicandum
est, si finis sit impossibilis, ac de voto, cujus finis est im-
possibilis, diximus c. 5. num. 8. Et si sit malus, ac quando fi-
nis voti est malus, diximus c. 6. num. 13. Si indifferens, ac de
voto, cujus finis est indifferens, diximus c. 7. num. 25. Si sit
contra consilia, ac de voto, cujus finis est contra consilia,
diximus c. 8. num. 56. Et 57. Tunc autem per modum unius
censetur uterque finis intendi, quando votum ita ab utro-
que sine dependet, ut quovis eorum deficiente non emit-
teretur. Juxta dicta cap. 2. num. 47. Ratio prioris partis hu-
jus conclusionis est, quia cum in eo eventu sit duplex vir-
tute votum; & alterum habeat finem omnino aptum, &
est, quod id vitietur ex malo sine alterius voti, à quo id
non dependet. Cum utile non vitietur per inutile, à quo
separari valet, c. Utile, de reg. jur. in 6. Ratio autem pos-
terioris partis est. Quia tunc uterque finis efficit unum com-
pletum, & cum bonum sit ex integra causa, malum au-
tem ex singularibus defectibus, talis censetur finis ille to-
talis, qualis est pars illius inepta; & ideo sic de voto dila-
dicandum est, ac si talis esset finis.

16 Tandem in dubio, an per modum unius, an per mo-
dum plurium uterque finis sit intentus, perinde videtur di-
cendum, ac quando dubium est, an finis sit malus, vel in-
differens. De quo diximus c. 6. num. 24. Et cap. 7. numero 28.
Quippe tunc id dubium redundat in ipsius finis qualitate.
Nam si malus, vel indifferens est ille partialis per modum
unius promissus, videtur totalis finis malus, vel indiffe-
rens. At credo iudicandum in hoc dubio in favorem va-
loris voti. Sicut diximus numero 14. in simili dubio de ma-
teria. Quia cum in hoc eventu constet de parte finis bo-
ni, presumitur in dubio in favorem valoris voti, non ita
id alicui alio sine inepto, ut corrumpat. Ut in simili probavi
cap. 2. in fine.

S U M M A R I U M.

An votum disjunctivum, cujus altera pars est inepta voti ma-
teria, aut ratione sui, aut ratione finis obliget? num. 17. Et re-
missio, quando postea ineptitudo partis advenit.
Quid, si ignoraverit id votum emittitur? Et qualis culpa sit, ea
vota scilicet emittit? num. 18.
An votum non peccandi mortaliter, aut venialiter obliget? nu-
mero 19.
Quid, si iuxta sensum, & intentionem vouentis, id votum non sit
verè disjunctivum, sed conditionale? num. 20.
Quid, si quis dubius an utraque pars sit materia apta sic vouerit,
vel cogita veritate eligere aptam? num. 21.
Quid in dubio an intentio fuerit disjunctivè promittendi, aut per
modum conditionis? num. 22.

17 Quæstio posterior, an votum disjunctivum, cujus al-
tera pars est inepta voti materia, aut ratione sui
aut ratione finis duplicis, alterius aptæ, & alterius ineptæ
disjunctivè possit, obliget? Exempla adhibui num. 1. Sit con-
cl. Si revera sit votum disjunctivum, ita ut vouens ad neu-
tram partem se voluerit obligare determinatè, sed disjunc-
tivè ad unam, vel alteram: votum est irritum, & ideo
cadit disjunctio in duplicem illam materiam. Ut vouens
se futurum religiosum, aut surnaturum. Et similiter est irri-
tum, quando disjunctio cadit in duplicem illum finem, &
ita finis ineptus intenditur, ut vitiet votum, quando ipse
solutus esset finis. Quod quando contingit juxta diversitatem
finitis, satis egimus in locis, quæ retuli num. 15. Ra-
tio est, quia ex vi illius voti, non magis tenetur vouens ad
partem aptam, quam ineptam, illique satisfacit eligendo
ineptam, vel ratione sui, vel ratione finis inepti. Et obli-
gatio disjunctiva cadit in utramque partem. Ut probavi
num. cap. 13. numero 24. At nequit obligare inepta, & ideo
votum est irritum. Quid autem, si postea impossibilitas
partis adveniat, aut alia ineptitudo, dicemus cap. 13. nu-
mero 25.

18 Nec refert quo ad voti obligationem, siue ille sciue-
rit, siue ignoraverit, alteram partem esse ineptam voti
materiam: si verè disjunctivam habuit intentionem: Quia
in utroque casu neutram partem vel determinatè, & in-
tensificat eligendo ineptam. Atque proinde ratio nullitatis
ejus voti disjunctivi non præcedit, adducta militat æquè in utro-
troque casu. At quo ad culpam, est discrimen. Nam si igno-
rante, excusabitur à culpa juxta ignorantiam qualitatem.
Si verò scienter, existimo talem esse culpam, mortalem,
vel venialem, si vouerit disjunctivè, qualis esset culpa vou-
ere determinatè materiam illam ineptam. Quare si illa
est mortalis, vel finis est mortalis, erit mortale. Si verò
venialis, vel impossibilis, vel contra consilia, erit commu-
niter veniale: vel si sit indifferens. Sicut vota de his rebus
determinatè emissa, sunt regulariter venialia. Ducor, quia
similis infertur Deo injuria, vouendo illam materiam ineptam
indeterminatè, vel determinatè. Cum saltem disjunc-
tivè velit vouens ad mortale obligari, quando materia est

mortalis. Sicut mortale esset proponere aut fornicari, aut
servire xenodochio. Quia tunc saltem dubia est voluntas,
an peccatum mortale amplecteretur. In quo casu id esse
mortale probavimus libro primo hujus summa cap. primo nume-
ro 16.

19 Hinc deducitur, votum verè disjunctivum non pec-
candi mortaliter, aut venialiter, est, propterea irritum:
Quia posterior pars disjunctivus est impossibilis, & sic ine-
pta materia.

20 Consulto autem in triplici numero precedenti loquens de
voto disjunctivo, semper addidi. Si revera sit disjunctivum
in intentione vouentis, prout verba sonant. Nam quando-
que disjunctivum apparet, & tamen verè non est tale ac-
tenta vouentis intentione. Quod in duplici casu evenire po-
test. Prior est, quando sensus vouentis est conditionalis
quo ad partem bonam, & possibilem. Tunc enim obliga-
bit votum. Ut si miles voueat fore, ut vindicetur, vel re-
ligionem ingrediatur, si non vindictam sumperit: ita ut
velit se ad religionem determinatè obligare, ex supposito-
ne illius conditionis, si vindictam non sumperit. Quia hoc
votum non est proprie disjunctivum, sed potius est duplex
alterum absolutum vindictæ sumendæ: quod est irritum:
alterum autem conditionale obligans ad rem bonam ex nega-
tione illius conditionis. Quando autem conditio negati-
va dicatur impleta, dicens tunc loco agentes de voto con-
ditionalis. Nec obstat tale votum impleri sumpta vindicta,
ac proinde videtur non obligare. Hac enim ratione diximus
num. 17. votum disjunctivum non obligare. Nam respondeo
non impleri id votum conditionale validum sumendo vin-
dictam, sed potius impediri ejus perfectam obligationem
pendentem ex conditione vindictæ non sumptæ. At vota
disjunctiva non habent obligationem pendentem ex aliqua
conditione, sed absoluta sunt.

21 Posterior casus est, quando quisquam ignorans, an du-
bus an utraque pars sit legitima voti materia, aut sibi pos-
sibilis, disjunctivè promittat; ut postea certior factus de le-
gitima materia, illam eligat: & quæ sibi possibilis fuerit.
Tunc enim id votum obligabit. Quia tunc adest virtualis
voluntas obligandi se ad unam partem aptam casu, quæ al-
tera inepta sit.

22 Tandem quando vota hæc sub forma disjunctiva emit-
tuntur, & diligenter perpenis circumstantiis, res manet
anceps, an sensus fuerit verè disjunctivus, an potius con-
ditionalis, crederem votum non obligare. Quia cum forma
verè disjunctiva sit, ea possidet, dum contrarium non pre-
batur. At quando est verè disjunctivum, non obligat. Ut
diximus numero 17. Atque idem crederem, est ille vouens
suppliciter sensum fuisse conditionalem. Quia cum tunc
ejus partis non sit assensus certus, præponderat possessio
formæ disjunctivæ. Quod si essent utriusque rationes pro-
babiles generantes opinionem, liceret vouenti adherere cui-
libet ex illis, etiam minus probabilis esset. Atque simi-
liter præsumi in dubio votum disjunctivum, quando utra-
que pars est apta voti materia: dicam contra Azor, in cap.
13. numero 22.

C A P U T X I.

Obligatio voti à qua virtute procedat? Et qua-
liter ex verbis, ac intentione vouentis colli-
genda sit? Ac quibus circumstantiis sit ex-
plenda?

S U M M A R I U M.

Quot quæstiones disputanda sunt; num. 1.
Votum quo ad substantiam, & circumstantias obligat, quæ-
tus est sola vouentis intentio. Et unde ea intentio deducenda
sit; num. 2.
Stricte interpretandum est, ut minus obliget, num. 3.
An obliget ad id, ad quod vouens se advertit, non se obligat.
set? Et an sit in vouentis potestate se ad solum veniale obli-
gare: vel ad peccatum solum? Remissio, num. 4.
An sub voto obliget quicquid tempore voti vouens intendebat:
vel id debet? Et quid in dubio; num. 5.
An possit vouens se ex virtute altarum virtutum à religione ob-
ligare? Et quando id effecere censetur; num. 6.
An tunc in transgressione sit multiplex malitia fatenda; nu-
mero 7.
An possit se ex iustitia obligare; num. 8.
Quid operetur voluntas se eo modo obligandi? Et an habeat spe-
cialem malitiam transgressio ejus voti: & obliget refuturo;
num. 9.
An repetens votum possit nova se obligatione devincire; nume-
ro 10.
An vouens possit se ad solum actum externum vitandum obli-
gare: Refertur quadam sententia, num. 11.
Proprietur sententia Auctoris, num. 12.
Post num. 12. invenies alia summaria.

1 Hucusque egimus de necessariis ad voti valorem: jam
de voti validi obligatione agendum est. Et prius in
hoc capite est de ea in genere tractandum. Et cum tota
obli-

obligationis voti radix sit voluntas votantis, quae aliquando obligationem voti coarctat, volens ea quibusdam limitibus, circumstantiisque obligari: quandoque autem nil speciale determinat, sed ad iudicandum iuxta voti naturam relinquunt: ideo triplex quaestio est in hoc capite disputanda. Prima est, de obligatione voti coarctata ad speciales circumstantias ex votantis intentione. Secunda, de obligatione ex sua natura, seclusa speciali votantis intentione. Tertia, de circumstantiis, quibus res voto promissa exhiberi debet, votante nullas praescribente.

Quaestio prima. Qualiter obliget votum, cum votans ejus obligationem coarctat? Tamquam basis, & fundamentum totius tractatus de voti obligatione, est triplex regula praemittenda. Prima est. Tota voti obligatio pendet ex privata votantis intentione, ita ut in tantum tam quo ad substantiam, quam quo ad circumstantias, nec minus votum obliget, in quantum votans ipse intendit se obligare. Ratio est, quia lex non aliter obligat, quam legislator obligare intendit: utpote, quae ex sola ejus voluntate vim obligandi habet. Ad votum est lex privata ex sola votantis intentione confluens. Quare magna diligentia ea intentione inuestiganda est, ad iudicandum voti obligationem. Quod si de ea non constat, ex consuetudine voti obligationem, quae potissimum locum obtinet finis, quem votans in voto spectavit. Quippe lex omnis finis, quem votans in voto spectavit. Quippe lex omnis finis, quem votans in voto spectavit. Quippe lex omnis finis, quem votans in voto spectavit.

Secunda regula est. Votum strictè interpretandum est, ita ut in quantum fieri possit, minus obliget. Ratio est, ut quam maxime fieri possit, sacrilegæ ejus transgressionis occasio, & peccati periculum vitetur. Ita docent Abb. cap. Ex parte, n. 4. de censuris, Azor. lib. 11. instit. moral. c. 20. q. 1. Et hac ratione lib. praeced. c. 17. num. 9. probavimus juramentum strictè intelligi.

An verò voti obligatio non amplius extendenda sit, quam ad eam, quam si votans aduertisset, amplecteretur? vel ea, quæ à principio impedirent votum emitti, si potestate contingant, excusent à voti obligatione. Diximus latè §. 2. à nu. 6. & à nu. 20. Et an sit in potestate votantis se obligare ad solum veniale, vel poenam, diximus c. 1. nu. 30. ubi partem affirmantem defendimus. Quare si votans generaliter proponat intentionem suam esse, nunquam se per votum obligare, nisi ad veniale vel poenam: dum eam voluntatem non retractaverit, siue in particulari, siue in generali, non amplius, quam ad id votum obligatur. Ut constat ex dictis cap. 8. num. 17. quavis ejus intentionis immemor votat.

Ultima regula est. Non omnis circumstantia, quam votans tempore voti emisit intendit, aut cogitat, obligat sub voto, vel illius obligationem restringit, sed obligabit, quæ de illa est intrinseca, & essentialis rei promissæ: juxta ea, quæ dicimus nu. 30. vel si accidentaria sit, intendit votans ad illam se obligare: tunc autem obligationem restringet, quando mens votantis fuit ita restringere. Non enim obligat, aut aliquid circa votum operatur intentione tempore voti concepta concomitans ipsum votum, nisi cadat sub voto. Ut bene docent Ricardus 2. d. 38. art. 8. q. 4. Henricus 1. penultimo num. 1. de voto, & Guadalupe quodlib. 2. q. 19. & quodlib. 3. quæst. 15. Abalensis c. 30. Num. 99. Valentia 2. d. 2. disp. 6. quæst. 6. p. 1. q. 3. v. 1. Unde bene. Et contra ex doctrina Auditorum num. 32. & 34. referenda. In dubio autem an illa intentio tunc concepta ampliet votum, vel id iuxta illam restringat, sic distinguendum est. Si dubium sit, an votum ampliet, censendum est, ut non ampliet. Quia tunc perinde est, ac dubitare, an votum sit emissum de illa circumstantia ampliandi. In dubio autem, an votum sit emissum, cum nulla sit pro voto possessio, non obligat. Ut diximus c. 1. num. 16. Si autem dubium sit an intentio illa votum restringeret, praesumendum est non restringere. Cum tunc possessio sit pro voto, & dubia restringendi intentio. Ut latè in simili diximus c. 2. in fine, ubi & quid, quando utrumque fuerit votantis probabilis.

Hinc deducitur primo, in votantis potestate situm esse, non solum ex rectitudine virtutis religionis, sed etiam ex peculiari rectitudine illius virtutis, cuius actum votet, se ligare. Ut si voueat jejuniū, potest se obligare ultra religionis virtutem, ex virtute abstinentiæ, cuius actus est jejuniū. Et ratio est, quia cum votans sit quidam legislator voluntarius, legem sibi praescribens, nil obstat, quominus ultra religionis obligationem ex voto confurgentem possit se peculiari illa lege virtutis obligare. Sicut legislator aliquid præcipiens obligat præcepto virtutis, cuius est ille actus. Atque ita docet Valentia 2. d. 2. disp. 6. quæst. 6. p. 1. q. 1. conclusio 2. Et eadem ratione loquens de promissione humana docet idem Molina tomo 2. de iust. disp. 262. ad finem. Non tamen credo posse se obligare ex rectitudine alterius virtutis, ad quam ille actus pertinet nequit. Ut si promittat elemosinam, potest se obligare ultra virtutem religionis, ex virtute misericordiae, ad quam elemosyna pertinet, ac non potest se ad illam obligare ex virtute castitatis, aut fortitudinis. Quia elemosyna ad has

virtutes pertinere nequit: nec potest legislator virtutum naturas immutare. Quod si quaeras, quando censetur votans velle se ex ea quoque peculiari virtute obligare. Dixerem, quando principalem votantis motum ad vouendum esset virtutis alicujus specialis exercendæ affectus, & ut illam exerceret, se vinculo voti adstringeret: tunc ultra religionis vinculum, quod votum affert, conferretur quoque illius virtutis, quam exercere vult, obligationem sibi imponere. Sicut, ut dicemus nu. 22. & 23. hanc rationem legislator aliquid præcipiens censetur constituere in ea virtute, quam intendit per legem.

Tunc autem, ut bene ait Valent. num. praeced. allegatus, transgressio illius voti ultra violationem religionis, haberet speciem deformitatem necessariam fatendam contra illam virtutem, cuius actum vouit. Quia contra illam quoque delinquitur.

Secundo deducitur, non posse votantem vere justitiam debito se obligare per votum: sustinendo opinionem dicentem non dari veram justitiam rationem inter Deum, & homines. Quam latissime, & eruditissime probat Vasquez prima parte quæst. 21. artic. 1. disputat. 85. tomo cap. 4. & licet contrarium esset dicendum sustinendo oppositam sententiam, quam tuetur Suarez in suis opusculis, tomo primo tract. de iustitia divina, sect. secundam ad num. 9. Sed prior sententia est verior, & conformior sententiæ D. Thom. 2. 2. quæst. 80. artic. 1. ubi ait religionem esse potentialem justitiæ partem: eò quod conveniat cum justitia, quod sit ad alterum, & reddat debitum: deficiat autem à vera specificâ justitiæ ratione, quia non reddit æquale. At si æqualitas hæc commendanda esset inter res ipsas materialiter constans semper reddi æquale per religionem: ac proinde esset vera justitiæ pars: semper enim per votum redditur æquale rei promissæ. Quare sentit æqualitatem hanc spectandam esse iuxta æqualitatem rei promissæ, & debetæ formaliter. Res autem per votum promissa, & debita formaliter, est res illa materialis, ut redundat in honorem Dei. Hæc enim est ratio formæ religionis, quam votum respicit. Quia ergo nulla creatura potest æqualem honorem Deo debitum exhibere: inde est ut quantumcumque velit quis se Deo ex justitia obligare per votum, neque ea se obligatione adstringere. Quod materia non sit capax. Nec etiam potest se per votum ex justitia obligare homini. Quia votum non homini, sed Deo fit.

Fatendum tamen est, si votans vellet se ex vera justitia commutative ratione debitorum voti Deo constituere, manere utique obligatum, non vera justitiæ ratione, tamquam impossibili: sed infra obligationis debiti ex justitia humana. Quare transgressor voti tenebitur refarcire damna secuta personæ, in cuius fauorem votum erat: & ea persona mortua tenebitur ejus hæredi. Quia debitum justitiæ humanæ ad hoc obligaret. Tunc enim perinde est ac vouere refarcire damna, &c. At transgressio illius voti non haberet malitiam necessariam fatendam. Quia nequit votans veram justitiæ obligationem sibi imponere, sed solum religionis obligantem ad omnia alia, ad quæ justitia obligaret. Et ita transgressio solius virtutis religionis erit: ac proinde unica culpa.

An verò repetens votum, volensque nova obligatione se adstringere, censetur illa adstrictus, ita ut novam culpam transgrediendo admittat; diximus lib. 1. cap. 14. num. 10.

Tandem deducitur, quid in ea quaestione sentiendum sit: an in votantis potestate constitutum sit, ita se per votum ad actus externos vitandos obligare, ut ex vi voti non teneatur internis vitare. Ut si quippiam ad vitandos scrupulos, vel timens suam fragilitatem, voueat se vitaturum omnia luxuriæ externæ peccata, volens, expressè ad interna vitanda se non teneri. Neoterici quidam censent id posse votantem. Ducuntur, quòd hæc separari queant quoad poenam. Quippe peccatum externum subijci potest excommunicationi, & refectioni: internam autem nequit excommunicationi, nec solet refectioni subijci. Alii verò censent, si se ruditer obligaret, non expressè excludendo sub distributione quadam omnes actus internos, sed indeterminatè, nolo me obligare ad actus internos vitandos, valere votum, & talem censendum esse manere obligatum ad vitandos aliquos actus internos; illos, nempe, qui actibus externis directè aduerfarent, ut velles fornicari, declarari in fornicatione cogitata, ut à se admitenda. At non peccare dicunt contra votum, si declaratur in fornicationem in communi, vel cogitata, ut ab altero perpetrata, vel in fornicatione sua sub conditione, si voto ligatus non esset. Alii verò supponunt id votum esse validum, & obligare tam ad actus externos, quam externos vitandos. Ita sentire videtur Vasquez 1. 2. quæst. 74. art. 8. disp. 112. c. 2. num. 9. ubi ait votantem servare castitatem, comprehendere siue voto etiam internas vitandas: ac proinde illas fore contra religionis virtutem: si tamen vouisset solo opere externo servare castitatem peccatum contra votum vitando efficaciter fornicari, non autem delinquendo se abique hæc voluntate in fornicatione cogitata. Quòd malitia operis externi non deriuatur ex natura sua in simplicem delectationem, sed in solam efficacem perpetrandi actus externi voluntatem.

12 Sed existimo id votum nullius momenti fore. Quia est obligatio ad impossibile. Nam, ut bene dicit Vasquez num. praeced. allegatus, emissio semel voto de opere externo vitando, nequit votans excipere actum internum, in quem tota actus externi malitia deriuatur. Et quamvis ipse sentiat posse excipere delectationem moralem, id ideo dicit, quia sentit non participari ab ea delectatione malitiam operis externi, sed alia ratione pertinere ad eandem speciem munem sententiam dicentem malitia alicui delectationem, & opus speciem, eadēque dicendum est, neque delectationem moralem posse excludi ab eo voto. Corruet ergo votum tamquam res impossibilis obligatio. Nec urget ratio contraria. Quia malitia & prohibitio actus externi nullatenus separari valet à malitia, & prohibitione actus interni: at quo ad poenam incurrendam bene possunt separari. Et ut ita postea quis voto se obligare ad aliquam poenam, si externam aliquis peccati actum commiserit, nolens ea ligari actu solo interno perpetrato.

SUMMARIUM.

- Votum obligat sub peccato, num. 13.
- Est laudabile, & meritorium votare, num. 14.
- An sit magis meritorium excipere aliquod ex voto? n. 15.
- An executio voti promissa pertinet ad justitiam, an ad solam religionem? Refertur quædam sententia, nu. 16.
- Explicatur sententia Auditoris. Et an obliget restituere? numero 17.
- An manas penes votantem dominium rei voto promissa? numero 18.
- An posse votans compelli excipere? Et an auctoritate? Et an laicus? à iudice ecclesiastico? num. 19.
- An votum intimatum parti, & ab ipsa acceptatum obliget ex justitia? nu. 20.
- An transgressio solius voti sit duplex culpa? nu. 21.
- An transgressio criminis votorum sit ejusdem speciei? Refertur quædam sententia, nu. 22.
- Explicatur sententia Auditoris. Et qualiter eo ipso, quòd lex aliquid præcipit, pertinet ad materias diversarum virtutum, iuxta materiam legum diversitatem? Scitis in voto, numero 23.
- An fas sit confiteri, quoties votum, vel juramentum violata sint iacta illorum materia; vel quando peccatum est detectum, & circumstantia hæc ex oblivione tacta, fas sit fateri solam hanc circumstantiam? num. 24.
- An religiosus transgressus præceptum prælati, admittat duplex peccatum? num. 25. Et quid de votante extra religionem obedire alicui? nu. 26.
- Quid de religioso transgressore voti pauperum? nu. 27.
- Fecissa omnia contra votum, an sint commissoria? nu. 28.
- Post num. 28. invenietur omnia summaria, quæ desiderantur.

13 Quaestio secunda. Ex qua virtute votum obliget suapte natura, & seclusa speciali votantis intentione? Et quidem tamquam veritas Catholica supponendum est, votum obligare lub peccato. Ut constat ex c. 20. Proverb. & Deuteron. 23. & 1. ad Timoth. 5. Quam veritatem sanctorum etiam testimonio adversus nostri temporis hæreticos probat latè Valentia 2. d. 2. disp. 6. q. 6. p. 1. q. 1. in initio. Et ratio est quam tradit, D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 3. Quia homo debet esse maxime fidelis Deo, tum ex titulo creatiois, tum etiam ex titulo universalis dominii. An fidelitatem autem Deo debitam pertinet fidem ei per votum datam servare. Atque ita Ecclesiæst. 5. redditur ratio, cur votum servari debeat, quòd ei dupliciter infidelis, & fluita promissio.

14 Secundo etiam supponendum est, tamquam similiter catholicum, emittere votum esse opus ex se laudabile, & meritorium, si procedat ex gratia. Quam veritatem contra hæreticos etiam notræ tempelatis probat testimonio Scripturæ, & Sanctorum, Valentia eadē quæst. 6. p. 1. q. 1. in initio. Et rationem reddit D. Thom. ea quæ 88. artic. 4. quia bonum ac homini utilissimum est, firmare immobiliter propriam voluntatem ad aliquid faciendum in magnam ipsius utilitatem cedens. Quod per votum efficit, utpote quòd nostram voluntatem firmat ad aliquid reddendum Deo quòd in nostram utilitatem redundat. Cum enim Deus nulla re nostra indigeat, tota res promissa in promittentis utilitatem cedit. Ut egregie docuit D. Augustinus Epistola 45. ad Armentarium. Quamvis per accidens ratione periculi transgressio ob votantis fragilitatem, sit quandoque alicui consultius non vouere.

15 Imò facere aliquid ex voto est melius, & magis meritorium, quam sine voto. Ut probat Divus Thom. ab omnibus receptus eadē quæst. 88. art. 6. Et ratio est, quia executio operis ex voto debiti pertinet ad religionem, quæ aliis virtutibus moralibus perfectior est. Secundo, quia per votum homo magis subijcitur Deo, non solum actum ipsum, sed etiam facultatem ipsam operandi ei subijcens. Quare Divus Augustinus in libro de similitudinibus cap. 84. ait hoc perinde esse, ac offerre fructum arboris simul cum arboris ipsa. Tandem quia votans operatur ex majori voluntate firmata. At heritas iuxta Philosophum 1. Ethicorum c. 11. pertinet ad virtutis perfectionem. Et quamvis

meritum minuatur diminuta voluntatis indifferentia ab aliquo extrinseco impellente, & determinante voluntatem ad aliquid involuntariè faciendum. Sicut cum aliquid fit ex metu. At non minuitur, sed augetur meritum, diminuta ea indifferentia ab intrinseco, sed quòd voluntas ad utrumque faciendum libera, aditruerit se in Dei obsequium vinculo obligante. Hoc tamen intelligendum est, dum non peccat votantem illius voti: si enim illius peccat, incipit veluti extingui illa meriti excellentia, quam habuisset opus prior illa voluntate permanente. Ut bene docet Valentia dicto summo 3. column. penult. in solutione ad 3.

16 Sed difficultas specialis est, an executio rei voto promissa pertineat ad justitiam, an ad solam religionem? Sentus 1. 7. de iustit. quæst. 2. artic. 1. column. 2. versic. Et secundum, & Aragon. 2. 2. quæst. 88. artic. 3. dubio 1. conclusio. 1. ad finem dicunt obligare ex justitia, & ex religione. Sed forte intelligunt improprie, prout religio est pars potentialis justitiæ. Ut num. 8. explicavimus. Atque obligare omne votum ex vera justitia commutativa, videtur sentire, Suarez tract. de iustitia divina, sect. 2. num. 16. & claris à id constare in votis conditionalibus, quibus aliquid Deo vouemus, si beneficium aliquid nobis concedat. Quod ibi (ait) interveniat pactum, & æqualitas rei ad rem, non simpliciter, sed secundum pacti, & promissionis exigentiam. Et ita subdit nil deesse ad sufficientem commutationem fundantem propriissimum, & rigorolum jus, quòd est for male justitiæ commutative obiectum. Quamvis ob excellentiam Dei, cui promissio fit, ad religionem pertinere dicitur. Potest inuper probari, quia votans vult verè se constitutare debitorem respectu Dei, & concedere Deo jus ad rem voto promissam exigendam, multo magis, quam in humanis promissionibus ex justitia obligantibus.

17 Sed multo verius est, esse actum solius religionis, ac improprie, & imperfectè justitiæ, in quantum religio est pars potentialis justitiæ. Priorem partem, nempe, esse actum religionis, nemo negat. Et ratio est, quia per votum statuitur aliquid faciendum ad gloriam Dei. In quo est formale religionis obiectum. Posterior autem pars inde constat: quia ut num. 8. probavimus, non est perfecta ratio justitiæ commutativæ in ordine ad Deum, cui votum fit. Item quia D. Th. communiter receptus 2. 2. quæst. 88. artic. 5. ait votum esse religionis actum: cum tamen quæst. 80. artic. 1. dixerit religionem esse potentialem justitiæ partem, eo modo, quem num. 8. explicavimus. Et in propriis terminis docet Vasquez 1. p. q. 28. art. 1. disp. 85. c. 4. in fine, & 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 65. c. 3. n. 14. & q. 72. art. 6. disp. 98. c. 3. n. 7. in fine. Navarrus lib. 2. de restit. c. 1. in nova editione, dub. 3. num. 17. & 18. Inde bene inferens ejus transgressionem non inducere restituendi obligationem.

18 Quiddid tamen sit de hoc, id tamen certum est, rei voto simplici promissæ dominium manere apud votantem, Constat ex l. Si quis rem, ff. de pollicitat. ubi dicitur personam obligari, non rem. At si dominium translatum esset, res ipsa maneret obligata. Item quia cum promittens obliget se ad dandum, necesse est, ut dandi facultatem retineat, quam minime retineret dominio prius translato. Nemo enim potest dare rem alienam. Et ita docent D. Th. 4. d. 38. q. 1. art. 3. quæstionculum 2. Permissus, quem referunt, & sequuntur Angelus verb. Votum 3. n. 25. Sylvester, verb. Votum 2. q. 19. Azor. lib. 11. instit. moral. c. 15. q. 17.

19 Non obstante autem hoc dominio, potest votans compelli ad voti executionem, five illud religionis, five quodcumque aliud sit. Quod probatur ex c. Ex parte, de censuris, &c. Quod super, in fine, de fide instr. Et ita docent Glossa c. Perreum, in fine, de regular. Innoc. c. Penultimo num. unico, versic. Consulimus, de voto, & dict. c. Ex parte, num. unico, versic. Cogendi: ubi Joann. Anchar. num. 3. Host. num. 5. Anton. num. 6. Casan. in fine, Anchar. num. 4. Henric. num. 1. & 2. Abb. d. c. Perreum, num. 12. & d. c. Quod super, num. 3. & d. c. Ex parte, num. 1. & 2. & c. Quod super, nu. 2. de voto, Angelus verb. Votum 3. nu. 26. Sylv. verb. Votum 2. q. 19. Casir. 2. 2. quæst. ultima, ar. 3. dub. 1. ubi optime explicat textum c. Gonfaldus 17. quæst. 2. & D. Th. eo art. 3. ad primum colligentem ex eo textu Gonfaldum illum, qui voto religionis emissio negavit se monachum fieri velle non esse cogendum manere in religione, eò quòd professus non fuerit. Nam non dicunt non potuisse cogi ingredi, sed non potuisse cogi perseverare: quia simplex religionis votum obligat ad ingrediendum, non autem ad perseverandum. Potest autem potestent religio illa, vel persona, in cuius fauorem votum cedit, votum compelli. Atque ita docent Innoc. d. c. Ex parte, eodem versic. Cogendi, Hostiens. Joann. Anchar. Antonius, Anchar. Henricus proxime allegati, Idem Abb. c. Quod super, nu. 3. de fide instr. & d. c. Ex parte, n. 1. & 2. Angelus, & Sylvester, proxime relati. Non tamen id petunt jure actionis. Quia ex voto simplici jus non acquiritur ei, in cuius fauorem redindat: sed petunt implo-rando iudicis officium. Ut bene docent Aug. & Sylv. ibidem. Et ratio est, quia potest iudex ex officio compellere subditos, ne sint sacrilegi, sicut ne alia crimina gravia perpetrent: quod potissimum ejus officio implorato per illum, in cuius fauorem votum cedit. Quare sicut ratione iuramenti, & ita etiam ratione voti potest laicus à iudice Ecclesiastico compelli, utpote qui de ejus foro efficitur, ut bene docet Anton. c. Licet, n. 2. de voto. Et diximus lib. praeced. c. 13. n. 16. 20 Hu-

